



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ**

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira  
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Verna - A Dominica Septuagesimæ, ad Dominicam SS. Trinitatis

**Haineuve, Julien**

**Coloniæ Agrippinæ, 1665**

Feria 4. Quæ est Cinerum. De perfecta imitatione Christi Domini in  
adimplenda Dei voluntate, sicut ille fideliter eam consummavit: Opus  
consummavi. Non quidquid Christus egit, sed quomodo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44214**

## III PUNCTUM.

**H**INC igitur patet, quod eo magis erigimur in virtutem, in perfectionem, in gratiam & gloriam, quo magis Christo subiciimur; Quia magis attingimus nostrum finem, in quo uno adepto tota nostra profectio & beatitudo consistit. Sic apertè sanctus Augustinus explicans, quomodo Christus Dominus ab Apostolo finis legis dicitur: Quoniam, inquit, quid quid agimus ad illum referimus, & cum ad eum pervenerimus, ultra, quod quaramus, non habebimus. Dicitur enim finis, qui consumit, & dicitur finis qui perficit. Aliter quippe intelligimus cum audimus, finita est cibus, qui manducabatur: & aliter intelligimus cum audimus, finita est vestis, qua texebatur. In utroque audimus, finitum est, sed cibus ut iam non esset: vestis ut perfecta esset. Finis ergo noster perfectio nostra esse debet, perfectio nostra Christus est: In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus. Sic ad praxim egregie sanctus Paulinus Nolanus, Ergo, inquit, illum amemus, quem amare debitum est; illum osculemur, quem osculari castitas est; illi subiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est; propter illum deiciamur, cui cadere resurrectio est; illi commoriamur, in quo vita est. Utrumque etiam Apostolus videtur esse complexus his verbis, quibus & nos crelescere simul & subici Christo, velut capiti membra nos admonet; Crescamus in illo, inquit, per omnia, qui est Christus, ex quo totum corpus com-

positum, & convexum per omnem iuncturam submirationis, secundum operationem in iuram uniuersuiusque membri, augmentum corporis facit in adificationem sui in Charitate. Quale monstrum & portentum, si membra corporis nolent regi à capite, se seque illi opponerent? Tale tu monstrum efficeris anime, si Christo repugnas. Veruntamen illi subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Quia ipse Deus meus, & salvator meus, adiutor meus, non emigrabo. Id est, inquit sanctus Augustinus, quamvis hostes insidiantur ubi possunt, calumniebantur ubi possunt, veruntamen Deo subijcitur anima mea, sic subijcitur, sic erigitur. Venit dolor meus, veniet & requies mea: Venit tribulatio mea, veniet & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit. Patiarur tamen fornacem, ut purgatum à sordibus veniat ad lucem. Quod vult aurifex, facio: ubi me ponit artifex, tolero, jubeor tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi suspendendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo, quia Deo subijcitur anima mea.

Vide de hac subiectione Christo debita, in 3. parte, Feria 6. hebdomadæ nonæ: & Dominica 14. fusiùs. Expendi etiam potest Veritas, quæ habetur in eadem parte, Feria 2. hebdomadæ undecimæ:

Quod vel inimico nunquam negares, sepius recusas Christo.

## FERIA QVARTA

QUÆ EST CINERUM.

DE PERFECTA IMITATIONE CHRISTI  
Domini, in adimplenda Dei voluntate, sicut  
ille fidediter eam consummavit.

AD HÆC EIUS VERBA:

Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Ioan. 17.

VERITAS PRACTICA.

Non quidquid Christus egit, sed quomodo.

SENSVS est, quod ad perfectam Christi imitatio-

nem, non est ita spectandum, quid egerit, quam quomodo illud egerit: ut sic, quæ sunt officii nostri conemur perfecte agere, sicut ille suum opus consummavit.

RATIO est, Quia perfecta Christi imitatio in una  
Dei



Dei Voluntate fideliter adimplenda consistit. Atqui ad hanc Dei Voluntatem fideliter adimplendam, ex parte nostra sicut Christus adimplevit, non ita spectandum est, quid egerit, quam quomodo quidquid egerit.

Ergo & ad eius imitationem hoc præcipue spectandum est: ac proinde inexcusabiles sumus, nisi Eum studeamus imitari, cum hoc unum sit agendum quod agimus, dum bene illud, sicut Christus iuxta peregit opus, pergamus.

## I. PUNCTUM.

**T**RIA hic diligentissime sunt observanda; primum, quod Christus Dominus de tota vita sua suisque omnibus & singulis rebus gestis loquitur, tanquam de Opere sive Negorio sibi commisso, quasi nihil ex se ageret, diceretque, quod non sibi præscriptum esset: Sic enim ipse apertissime jam dixit: a. Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Certè hoc mirum!

Secundum observatu dignum est, quod illud omne, quod tota vita gessit & dixit, unum opus vocat; Opus, inquit, quod dedisti mihi; quasi hoc unum habuisset agendum, ut voluntatem Patris impletet, quasi hoc unum spectasset in sua infantia, in suis miraculis, in suis sermonibus, in suis quibusvis aliis operibus; *Vt faciam, inquit, voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius* Et proximus Passioni; *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Hoc est profectò diligere.

Tertium denique quod, sicut dixit, sic perfectissime opus sibi datum consummavit, ne syllabâ quidem aut apice uno desiderato. Quod maxime patet in eius passione, ubi omnia ad Patrem refert; & idcirco libentissime & plenissime complet, donec omnibus absolutus dicat, *CONSUMMATUM est, & inclinatio capite spiritum tradat.* O verè obedientem filium, qui ac perderet obedientiam, perdidit vitam.

Sic nobis imitandus modò proponitur, ut habet Veritas, non in iis præcisè quæ fecit, sed in obedientia quam Patri reddidit, ut sicut ille, sic & nos fideliter nobis commissa & præscripta faciamus. Quod ut distinctius videas, expende illud primò, quàm verum sit, quod

Haynevsue Pars 2.

est in declaratione positum, perfectam Christi Imitationem in una Dei voluntate adimplenda consistere. Nam cum Ipse hoc unum opus se peregrisse dicat, & idcirco dicat, ut intelligamus, quid in ipso sit propriè imitandum; certè non potest dubitari, quin perfecta eius imitatio in una Dei voluntate adimplenda consistat, quam ille in suis omnibus dictis factisque tanquam unicum vitæ scopum & finem spectavit. Atque hinc Apostolus uno verbo quæcunque de Christo sunt, commendare volens, hoc unice urget: *Hoc enim sentite in vobis quod est in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, &c. Humiliavit semetipsum factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: Unde & paucis interjectis concludit, Itaque Charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in presentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus & hesitationibus, ut sitis sine querela & simplices filii Dei. Hoc est verè obedire, & hoc est fortè, quod minus facis: Si subtraxeris se non placet anima mea.*

Phil. 2.

Hebr. 20.

## II. PUNCTUM.

**A**TQVI ad hanc Dei voluntatem perfectè adimplendam ex parte nostra, sicut Christus adimplevit, non ita spectandum est quid egerit, quam quomodo illud egerit.

Manifestum est enim, quod quæ omnia Christus gessit, non à nobis gerenda velit. *Deus. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, ait idem Paulus, tam perfectus imitator Christi, ut nos sui imitatores vellet, sicut & ipse Christum imitabatur. Et tamen quàm multum abest, ut ea omnia fecerit, aut passus sit, quæ Christus Dominus? Est ergo Christus exemplar universalissimum, unde singuli exprimere debeant, quod sibi sit proprium & singulare. Sic egregiè sanctus Gregorius Nyssenus: Sua quisque vita pater est, artifex huius operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus. Sic & sanctus Bonaventura; In Apol. Resurgens à Christo, sicut à totius nostra salutis Paup. exemplari & originali principio, actus multiformes: In his, quæ sunt severitatis & divinitatis, art. 3. est Præsidentium & Prælatorum; in his, quæ condescensionis, est infirmorum.*

1. Cor. 1.

Ibid. 11.

Ep. 2.

part. 22.

I

Quid



Quid autem à singulis velit Deus, hoc illis declarat, in suo cuique officio seu vacatione, in qua vocatus est: unde & toties idem Apostolus postquam dixit, *Volo omnes vos esse sicut meipsum*, statim addit, *sed unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius* **1. Cor. 7.** *verò sic*; Et post nonnulla, *unicuique*, inquit, *sicut dirigit Deus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet. Et sicut in omnibus Ecclesiis docco; Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praputium: In praputio aliquis vocatus est? non circumcidatur; Circumcisio nihil est, et praputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permanent.* Ubi duo hæc simul confirmantur, & quod maximè spectari debeat voluntas Dei, & quod in vocatione propria potissimum dignoscatur. Quid agimus anime? quid hic hæres diutius? non est, quod te excuses de ignorata voluntate Dei: cum in his omnibus ubi frequentius peccas, non ignores, quid de te velit Deus. **Rom. 1.** *Quod notum est Dei, manifestum est in te.*

## III. PUNCTUM.

**N**ON quidquid Christus egit, sed quomodo quidquid egerit, id spectandum est ad perfectam eius imitationem, ut in his potius, quæ sunt nostri officij, quæ in ipsis Christi operibus, quomodo egerit, sic nos agamus: cum in his quotidianis nostris actionibus longè manifestior sit Divina Voluntas, in qua una perfectè adimplenda, ut dictum est, tota consistit Imitatio Christi: Cujus etiam exemplo plurimum excitamur ad illam in nostro statu Divinam penitus exequendam Voluntatem: quod proinde Deus proponit ut intueamur assidue, tanquam Exemplar luculentissimum, quod imitemur. Si enim Filius æqualis Patri, sic ei obediens fuit in opere tam arduo & difficili, quid nos servos præstare convenit in quotidianis nostris obsequiis, quæ sunt tam

facilia, ut præ facilitate & exiguitate rei? vix credamus ullius esse meriti. Et tamen si perfectè & integrè completerentur, ita Deo placent, itaque valent ad sanctitatem nostram; ut quantum in illis fideles & perfecti fuerimus, tantum perfectionis & sanctitatis assecuturi simus: quia Christo Domino similiores erimus, & in eo genere similitudinis & perfectionis, quod maximè placet Deo, & maximè valet ad meritum, nempe in divina eius voluntate facienda. Vide in 3. parte de Obedientiæ voto, ubi hæc tractatur Veritas satis opportuna huic loco.

Quam gloriosa est similitudo Christi, tam gloriosa est Obedientia.

Hoc est, quod potissimum nobis optabat **Heb. 13.** Apostolus dicens, *Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se, per Jesum Christum.* Quidquid verò sit, quod impediatur tantum bonum, vide quam breve sit & evanidum; *Tanquam dies hesterni qua præterit*, sic plane **Pf. 89.** omnia transeunt, & tu cum eis pariter. *Et mundus transit & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum*, ait dilectus discipulus. Sic & aptè Sapiens, *Omne opus corruptile deficiet, et qui illud operatur, ibit cum illo.* **1. Ioa. 1.**

Hoc est, quod profitemur hodie in Cinerum asperzione; hoc est quod in Evangelio **Matth. 6.** Misæ auditur, *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; thesaurizate autem vobis thesauros in celo.*

Ingedere te ipsum hodie penitentiis; *Convertere sero ad Dominum*, ut ait Sapiens, *et relinquo peccata tua; precare ante faciem Domini, et minue offendicula.* **Eccles. 17.** *Revertere ad Dominum, et avertere ab iniustitia tua, et nimis odito execrationem, et cognosce iustitias et iudicia Dei, et sta in sermo propositionis et orationis altissimi Dei.* **Pf. 39.** *DEVS meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.*

IN EADEM FERIA QUADRAGESIMALI AD EVANGELICAM LECTIONEM,  
ET CINERUM IMPOSITIONEM.

*Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Matth. 16.,  
Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris.*

VERITAS